



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Theologiæ Mysticæ, Seu Facilem & practicum modum  
Exercitia Spiritualia S.P. Ignatii Loyolæ per octiduum faciendi - item  
triduanam recollectionem fructosè instituendi complectens, Et  
Sacerdotibus Præcipuè, aut de Sacerdotali Statu suscipiendo  
deliberantibus accomodata, Una cum ...

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1680**

Medit. I. De fine hominis & Sacerdotis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48834)

Pro prima Die.

## MEDITATIO I.

## DE FINE HOMINIS ET SACERDOTIS

Scopus.

Propositum serium tam suam, quam proximi  
studiosus deinceps procurandi.

Tessera.

Domino patientiam habe in me, & omnia reddas  
Matth. 18.

Punctum I.

Considera I. Parabolam de homine peregrè profectore, vocante servos suos, & varia talenta tradente, quæ Matthæus c. 25. describit sequentibus verbis: *Homine profectus vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. Dedit quinque talenta, alij autem duo, alij vero unum cuique secundum propriam virtutem, & profectus est. Abiit autem, qui quinque talenta acceperat, & lucratus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter, qui duo acceperat, lucratus est alia duo. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui. Post multum vero temporis venit Dominus servorum illorum, & posuit rationem cum eis, & accedens ad quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, & dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce quinque superlucratus sum. Ait illi Dominus: Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Accedens autem, & qui duo talenta acceperat. Et ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum. Ait illi Dominus: Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Accedens autem, & qui unum talentum acceperat: ait, Domine, scio quia homo durus es, metui, & non seminasti; & congregas, ubi non sparxisti: &*

Abcondi talentum tuum in terra: ecce habes, quod  
 tuum est. Respondens autem Dominus ejus, dixit ei: Serve  
 male, & piger, sciebas, quia meto, ubi non semino, & con-  
 gregi, ubi non sparsi: oportuit ergo committere pecuniam  
 meam Nummulariis, & veniens ego recepissem utique, quod  
 tuum est cum usura. Tollite itaque ab eo talentum, & date  
 illi, qui habet decem talenta; Omni enim habenti dabitur,  
 & augetur: ei autem, qui non habet, & quod videtur ha-  
 bere, auferetur ab eo. Et inutilem servum eijcite in tene-  
 bras exteriores: illic erit fletus, & stridor dentium.

Considera II. Qualem exitum habuerit negligentia ser-  
 vi, qui talentum suum abscondit; qualem è contrario illo-  
 rum diligentia, qui totidem alia talenta lucrati sunt.

Considera III. Si tibi optio daretur, alterutram horum  
 servorum sortem eligendi, an non potius cum diligentibus  
 operari, atque adeò simile à Domino præmium expectare,  
 quam cum pigro illo servulo talentum defodere, & tam gra-  
 ven tibi accerere pœnam mallet? Vide ergo, quid hæc-  
 tus egeris, & deinceps saltem in meliorem partem te resolve.  
 Colloquium ad SS. Patronos.

### Punctum II.

Considera I. Qualia sint talenta, quæ tibi à Domino tuo  
 concessa sunt, nimirum omnia illa media, quæ tibi sunt in  
 ordine ad tuam proximique salutem procurandam concessa,  
 qualia sunt ex naturalibus quidem ingenium, scientia, vires  
 corporis &c. ex supernaturalibus verò vocatio ad religio-  
 nem, gratia vocationis, exercitia virtutum juxta instituti  
 normam suscepta &c.

Considera II. Quàm præclara sint hæc talenta, sive dan-  
 tis charitatem in vocatione, sive accipientis vilitatem, & in-  
 gratitudinem, sive ipsorum talentorum propriam excellen-  
 tiam, & dignitatem; sive lucrum per illa faciendum, scilicet  
 tuam, proximique salutem, sive denique præmium à Domi-  
 no ob fidem administrationem offerendum consideres.

Considera III. Si ab ijs, qui tam exigua talenta accepe-  
 runt, tam severa ratio exigitur, è contrario autem tam am-  
 plium fidelis servitij præmium promittitur, quantum tu, si  
 tam præclara talenta malè impenderis, pœnam, indignatio-  
 nem.